

EXEGESIS.

Quinque sunt hujus Articuli membra : I. *Annotatio bonorum, quæ delinquens fugitivus possidet.* Ubi observandum, quod istæc annotatio bonorum locum non habeat, nisi (1) *Delinquens aufugerit*, id est, potestati judicis se subtraxerit, quod fit vel latitando in ejusdem territorii judicio, aut præfectura, ubi judicis potestas se non extendit, vel recedendo in alterius territorium, ubi, quia ibi non deliquit securus est, donec ad requisitionem judicis, sub cujus jurisdictione crimen commissum est, ad præviam cautionem de indemnificatione judicii captivetur. (2) *Tale delictum commiserit, pro quo irroganda sit vel pœna mortis, vel corporis afflictiva.* Nam in textu ponitur vocabulum *Ubelthäter* seu maleficus, quod vocabulum denotat talem facinorosum, qui crimen commisit capitale, id est, ob quod pœna mortis, vel etiam pœna corporis afflictiva afficiendus est. Inde videmus causam, quare fugitivi bona sint annotanda, scilicet, ut ob eorum carentiam, & defectum alimoniarum eò facilius ad revertendum inducatur. Nam si vel pœna mortis, vel corporis afflictiva coercendus est delinquens, necessum est, ut ipse sit præsens : sed eum præsentem habere commodius fieri nequit, quam ut ipse mediis vivendi destitutus revertatur. Hahn, ad *Wesemb. Parat. ff. n. 5. f. 531. de requir. reis.*

Quod si verò delinquens effugerit ob tale delictum, propter quod ejusmodi pœnam subire nequeat, sed fortean tali pœna sit afficiendus, quæ in absentem executioni dari possit, uti est relegatio, eo casu bonorum annotatione non est opus. Quid si tamen ne sic quidem delinquens fugitivus compareat, tum solebant olim post elapsum annum à tempore factæ annotationis computandum fugitivi bona fisco addici, & hoc in pœnam contumaciæ. *l. 5. pr. ff. de requir. reis. l. 2. C. eod.* Adeò, ut licet ratione delicti videatur innocens; nihilominus tamen ratione contumaciæ innocens non fit, atque ita bona istius semel addicta fisco permaneant, Farin. *Tom. 1. Oper. Criminal. quest. 11. num. 3.* Brunnem. *ad l. 2. C. de requ. reis f. 1139.*

Hodie tamen ita non proceditur; sed si factâ annotatione bonorum fugitivus non revertatur, tum fugitivo licet insidiari, eumque persequi, numquid deprehendi possit : In Saxonia tamen procedi solet
ad Ban-